



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

Inventio S. Crucis. 3. Maii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

3. Maii. VITÆ SANCTORUM. 283  
mis in unam lancem, solennibus verò  
illis & in chartâ descriptis verbis, *Deo*  
*gratias*, in alteram injectis, rem exa-  
mini permisit; & ecce duo verba pon-  
dere suo omnia poma superarunt: ut  
planè decipi egenos à divitibus videam-  
us, dum hi pro tam exiguâ stipe tam  
multum accipiunt. Obiit porrò an M.  
CCCC. LIX. *Ægrotantis verba illa fe-*  
*runtur: Servire Deo regnare est, & illa*  
*morientis: Sancta & immaculata Vir-*  
*ginitas, quibus te laudibus efferam, nescio.*  
Imò vero ANTONINE, egregiè sci-  
visti: Virgo moriens eam in cælum us-  
que extulisti. *Ex Vinc. Mainard.*

*Ne simus hîc negligentes, ut non per infi-*  
*nita sæcula postmodum pœnitentiam agere*  
*cogamur, ubi nihil proderunt lacrymæ. In*  
*studiis atque laboribus gaudent Angeli at-*  
*que Archangeli sicut contrà in torpore ac*  
*negligentiâ gaudet inimicus S. Eph. tom. I.*

#### INVENTIO S. CRUCIS. 3. Maii.

**G**Audent alii crucem, quam cælum  
mittit, missam amittere; at amif-  
sam olim Christi crucem invenisse hodie  
se gaudet Helena, triumphat. Rei gestæ  
ordinem hîc habes. Latebat crux terrâ,  
plus odiis Judæorum sepulta. At Helena,  
cum primum filius Constantinus Max-  
entium debellavit et crucis sanctissimæ aus-  
piciis, quò grata foret, omni ingenio  
viri-



284 VITÆ SANCTORUM. 3. Maii.  
viribusque eruere defossam, orbique ad-  
randam proponere contendit; tunc de-  
mum credens thesaurum se reperturam,  
si crucem. Ita locus à superstitione pri-  
mum purgatur; & infame Veneris sta-  
bulum statuaque dejicitur: mox humus  
altè egeritur, tandem tergeminae cruces  
parent, & ponè titulus crucis refixus. In  
ipsissimas auri venas offendisse Helenam  
credidisses. Minuebat tamen lætitiã  
publicam illud, quòd quãnam ex tri-  
bus Servatoris crux foret, sic nondum  
constaret. Sed opportunum consilium  
Macarius urbis Episcopus suggestit,  
iussitque ordine singulas morienti fortè  
tunc mulieri imponi. Pergebat illa ad  
primæ contactum mori, itemque ad se-  
cundæ, ad tertiæ denique incolumes re-  
vixit. Huic Helena templum struere di-  
gnum magnificentiã suã, crucemque,  
hoc est aurum, argento includere, par-  
tem quoque unã cum auctario (clavis  
ejusdem) ad filium Imp. transmittere,  
regium utique donum. Agnovit ille si-  
gna victoriarum suarum, & summè ve-  
neratus toto imperio edixit, ne, quæ  
tessera salutis foret omnibus, posthac  
improborum foret supplicium. Clavo-  
rum altero diadematis frontem, altero  
frenos Imperatorios ornavit, certus  
majores nobilioresque uniones neque  
Indiam posse submittere. *Ex Brev.*

*Quisquis desiderat ab omni vinculo ma-  
ledi-*



4. Maii. VITÆ SANCTORUM. 285  
*ledictionis absolvi, & plenam nosa gra-  
tia benedictionem consequi, Crucem dili-  
gat, ex qua omnis plenitudo benedictionis  
emanat; per Crucem se Dei mandatis a-  
stringat; per Crucem effrenis Carnis incen-  
tiva cohibeat. S.P. Dam. de Invent. Cruc.*

S. FLORIANUS M. 4. Maii.

**F**LORIANUM, quem adversus ig-  
nium injurias patronum invocamus,  
aquæ ad Superos transmiserunt. Diocle-  
tiano Cæsare, in Norico Ripario Tribu-  
nus militaris agebat, cum institutâ de  
Christianis quæstione, nomen suum ul-  
trò detulit. Aquilinus loci præfectus fu-  
stuario primùm ejus constantiam tenta-  
vit; deinde ubi Christi nomen extundi  
ei posse desperavit, in Anassum flumen  
præcipitem egit. Impii mandati obe-  
dientiam carnifex repentinâ cecitate  
luit. Corpus exanime appulsim in sco-  
pulos aquila tutata est, Iovis olim, nunc  
FLORIANI satelles. Ipse Valeriam re-  
ligiosam feminam ad justa persolvenda  
corpori suo excitavit, & pietati merce-  
dem persolvit, salubrium aquarum sca-  
turigine, quas ægris bibisse profuit.  
Igne periclitantibus propitium esse pri-  
mus omnium carbonarius experimento  
didicit; suis, quas ipse sufflaverat, invo-  
lutus flammis FLORIANUM appella-  
vit, & integro corpore à rogo emerfit.  
Beneficium luculentius fuit, quàm ut il-  
lud